

unius, et activa respectu alterius, ut patet in intellectu nostro, qui est potentia passiva respectu specierum, et activa respectu intellectionis. Et sic esse, et operatio non se habebunt ut actus adæquati, respectu ejusdem entitatis, quæ est substantia, sed inadæquati, sed esse adæquate se habebit respectu potentia passivæ recipiendi esse, et operatio respectu potentia operativæ agendi operationem: una tamen, et eadem entitas substantialis respectu utriusque habebit vim potentia sub diversis respectibus, passivæ respectu esse, activæ respectu operationis.

XXVIII. Et hoc urgetur secundo aliquibus exemplis. Nam in primis ipsa entitas accidentis dicit immediatam habitudinem ad suum esse imperfectum, quia est capax ut sit, et ut producat, et dicit immediatum ordinem ad operari, quia virtus accidentalis per se est immediatum principium, seu potentia operandi ut quo, et immediate est capax existendi. Nec potest dici, quod non est existens per se, sed ratione substantiæ; et ita substantia est quæ dicit immediatum ordinem ad esse, non accidens. Nam contra est, quia etiam accidens non est principalis causa operativa, sed instrumentalis et ut quo: ergo eodem modo se habet ad esse, sicut ad operari; et sic si per eandem entitatem potest dicere ordinem ad esse, et ad operari, cur principium operativum radicale, et ut quod, non potest dicere immediatum ordinem ad esse, et ad operari, sed indiget principio quo instrumentali ad operandum, non autem ad essendum. Et hinc sumitur

Secunda instantia, quia substantia per seipsam est immediate potentia passiva, sive ad recipiendum formam substantialem, sive accidentalem: ergo etiam per se poterit esse potentia activa. Antecedens

est certum: nam materia prima per se immediate est potentia receptiva formæ, et ipsa substantia est immediate susceptiva existentia, et aliorum accidentium: ergo ut sit potentia passiva non indiget aliquo superaddito. Consequentia patet, quia imperfectior est potentia passiva, quam activa, et substantia est perfectius ens, quam accidens: ergo a fortiori potest esse per seipsam potentia activa, quam accidens: nec est conveniens quod substantia sit per se immediate id quod est imperfectius, nempe potentia passiva, et non possit esse id quod est perfectius, nempe potentia activa, quod tamen tribuimus accidenti. Et ex hoc fit

Tertia instantia, quia operari immediate convenit Deo per seipsum, et accidenti, quæ sunt formæ valde distantes: cur ergo non conveniet etiam formæ mediæ, quæ est substantia creata, præsertim cum ista immediatius ordinetur ad finem qui est operatio, et nobiliori modo, quam accidens.

Denique, sunt aliæ objectiones Scoti quas citatis locis tractavimus, v. g. quia substantia est productiva alterius substantiæ, quia hoc non potest immediate convenire accidenti, cum excedat ejus vires. Similiter est causa immediata suarum passionum, quæ sunt accidentia emanantia a substantia. Item est causa influxiva in ipsam virtutem, seu potentiam, media qua dicitur operari, quia virtus accidentalis operatur ut instrumentum, et principium quo: ergo ex influxu substantiæ: ergo jam aliquis influxus, seu operatio est immediate a substantia sicut concursus, et influxus causæ primæ in secundam est immediata operatio Dei. Similiter substantia Angeli est per seipsam species intelligibilis respectu intellectionis suæmet essentia, species au-

tem active concurrat simul cum intellectu ad actum intelligendi: ergo substantia Angeli est immediate operativa, seu influxiva in actum intellectus.

XXIX. Pro intelligentia rationis D. Thomæ non oportet aliud fundamentum jacere, quam id quod continetur in prima propositione, quam assumit, ex qua oritur vis omnium consequentiarum, scilicet quod cum potentia dicatur ad actum, oportet quod secundum diversitatem actuum sit diversitas potentialium: loquitur enim de potentia essentialiter ordinata ad actum, et de actu adæquato talis potentia: potentia enim quæ dicitur ad actum est potentia, cujus tota essentia est ad actum. Si autem tota essentia est ad actum tota entitas consistit in ordine ad ipsum actum, quia essentia rei, et entitas idem sunt, quare non possumus dicere quod potentia identificentur in aliqua entitate, et tamen secundum se dicant essentialiter, et adæquatam specificationem respectu diversorum actuum, quia specificatio, et essentialis ratio eorum est entitas eorum: et sic diversificari in specificatione, et in entitate idem est. Cum autem sit duplex potentia, scilicet passiva, et activa, utraque quidem respicit actum ut perfectionem sui, et ad illam per se ordinatur, si essentialiter, et per se dicat potentiam, ut perfectibilem a tali actu. Est enim aliqua potentia passiva, quæ tamen non constituitur essentialiter per recipere actum, nec specificatur per ipsum, et est alia potentia passiva, quæ per se immediate ordinatur ad actum ex essentiali ratione, v. g. materia prima est pura potentia, cujus tota essentia consistit in receptibilitate formæ, et ab ipsa recipit determinationem specificam, et actualem in esse, quia potentialitas materiae per formam actuatur, et reducitur ad

illam speciem actualem, et ad illud esse, cujus habet formam. Similiter substantia totalis, et subsistens per se dicit potentiam ad esse, quia dicitur substantia essentialiter ens quod per se potens est habere esse, et ipsum posse habere esse per se est ei essentialiter, licet ipsum esse actu habere sit ei contingens. Potentia ergo seu posse habere esse essentialiter illi est. Non tamen ratio intrinseca substantiæ primo, et per se sumitur ex eo quod recipit accidentia sustentando illa in esse, et non præcise recipiendo actuationem ab illis. Sustentatio autem in esse supponit quod sustentans, et substans tali formæ, habeat esse perfectius illa forma, quia accidens habet esse secundum quid dependens ab esse substantiæ, tamquam ab eo quod est per se. Similiter activa potentia, alia est quæ de se est in actu primo, et ordinatur ad actum secundum tamquam ad proprium actum, et specificativum sui, et hæc est potentia activa creata. Alia est potentia activa, quæ non est in actu primo, nec ordinatur, vel specificatur per se ab actu secundo, sed est ipsemet actus secundus, qui est actus purus, et talis potentia est substantialiter activa, quia est substantialiter ipsemet actus, nec ordinatur ad illum tamquam ad aliquid distinctum a se, a quo specificatur.

Igitur utraque consequentia D. Thomæ ex dictis ostenditur efficax, et certa.

XXX. Prima quidem, quia constat dari aliquas potentias quæ immediate ordinantur ad aliquem actum, qui ex sua essentiali, et propria ratione talem ordinem dicunt: ergo oportet quod penes tales actus sibi proprios, et immediatos, et ad quos essentialiter se habent, seu a quibus specificantur, distinguantur, et diversificentur. Quod si diversifi-

cantur essentialiter, seu specificative, oportet quod etiam entitative, quia secundum diversam essentiam et speciem sumitur diversa entitas, quia tota entitas in specie, et quidditate consistit. Unde prima consequentia manet firma, quia si talis potentia datur, quæ de se immediate, et essentialiter ex propriis dicitur ad actum, et ex ipsa actuum diversitate formaliter, et in ratione actuandi, et immutandi potentiam sumatur diversitas potentiarum, etiam sumitur consequenter diversitas entitativa, quia entitas in specie, et quidditate consistit. Quod se habeat aliam entitatem in qua multiplex potentia identificetur, quæ solum formaliter distincta inter se sit; talis entitas aliam speciem habebit antecedenter ad speciem talium potentiarum, et illa species entitativa non erit primo, et per se potentia ordinata ad aliquem actum, sed habebit primo, et per se aliam speciem cui formalitates illæ potentiarum quasi secundario, et accessorie adjungentur; et de tali specie non loquimur in præsentia, nec currit ratio facta.

XXXI. Secunda vero consequentia D. Thomæ fundatur in hoc quod essentia, seu substantia per se, et immediate est potentia ad esse, tamquam ad immediatum perfectivum sui, et potentia operativa est immediate, et per se ordinata ad operationem tamquam ad perfectionem, et specificativum sui, quando ista potentia se habet in actu primo, et actus secundus se habet ut accidens illius. Quæ duæ propositiones manifestæ sunt in substantia creata, et in operativo creato. Nam substantia creata vel dicit materiam, vel formam, vel substantiam completam, et subsistentem. Materia est entitative ipsa potentia essentialiter ordinata ad esse formale quod datur per formam, forma autem est quasi spe-

cificans ipsam materiam tamquam actus ad quem immediate, et per se ordinatur non tamquam potentia. Rursus substantia completa, vel subsistens immediate, et per se est capax ipsius esse, seu existentiae, quia licet existentia sit prædicatum accidentale substantiæ, et cujuscumque entis creati, tamen habere potentiam, et capacitatem ad habendum esse, sine dependentia ab alio priori sustentante, sed immediate, et per se proprium est substantiæ, et discernit essentialiter, et intrinsece illam ab accidente. Et sic substantia intrinsece constituitur per potentiam, et ordinem ad esse, ut patet ex ejus definitione, quia substantia est ens per se existens, id est, postulans per se existere. Et licet substantia per eandem formam sit capax existentiae, et principium operationis, tamen prius et immediatius ordinatur ad esse, quam ad operari, quia prius est existere, quam operari, et ad substantiam primo, et per se pertinet ordo ad esse, quia substantia habet esse per se, ut constat ex sua definitione, quod est ens per se, et deinde dicit rationem substantis, seu sustentativi accidentium; et ideo per se primo habet esse potentia receptiva; et in ratione recipiendi prius, et immediatius se habet esse, quam ad accidentia, quæ supponunt esse, quia prius est subsistere in se, seu existere per se, quam substare aliis. Sed tamen tam subsistere, quam substare, facit substantia, non radicaliter, sed formaliter et immediate, non mediante alia entitate, seu principio, quia esse immediate convenit naturæ, seu formæ, quia ipsa est principium quo aliquid est, et ideo oportet, quod ipsa substantia seu natura immediate recipiat ipsum esse, et dicat ordinem ad illud, quia est primus actus, quem potest recipere forma, seu natura, et cum

sit substantia, respicit illud per se, et immediate sine dependentia ab alio sustentante.

XXXII. Ex his autem propositionibus sic explicatis colligitur manifeste secunda consequentia D. Thomæ, videlicet quod actus ad quem per se immediate comparatur substantia, est esse, ad quod se habet ut potentia passiva, si est substantia creata, quia substantia in hoc discernitur ab accidente, quia est primum ens, et per se existens, non sustentatum ab alio, sed in se recipiens esse immediate. At vero operatio cum sit in rebus creatis distinctus actus ab ipso esse, et accidens secutum post esse, oportet quod potentia substantiæ, ut substantia est, non sit immediate ad ipsum operari, eo quod in quantum substantia ordinatur ad actum, qui sit esse, quia solum per ordinem ad ipsum constituitur subsistens, et substans. Igitur actus, qui est operari, non pertinet ad formalem, et essentialem rationem substantiæ, ut substantia est, quia si in ratione substantiæ constituitur primum ens per ordinem ad esse, quidquid non pertinet ad esse, sed est actus distinctus ab esse, non pertinet ad constituendam substantiam in formali ratione substantiæ, sed supponit illam constitutam, quia jam supponit esse, et ordinem ad esse, in quo perficitur ratio entis, ut substantis, et subsistentis, ut statim in solutione argumentorum amplius declarabitur. Ergo cum operatio, et esse sint actus diversi in rebus creatis; et unus, nempe esse, præcedat alterum, scilicet operari, oportet quod ea quæ immediate ordinantur ad tales actus, et per modum potentiae se habent ad illos, etiam distinguantur inter se; et sic cum substantia essentialiter in ratione substantiæ sit solum ordinata ad esse quod per se recipit, non vero speci-

ficetur primo, et per se ab operari, quia jam per ipsum esse supponitur in ratione substantiæ specificata, et constituta, consequitur quod principium quod per se primo specificatur ab operatione, sit aliud a substantia. Hoc autem principium datur, quia operatio est actus distinctus ab esse, et sic distinctam potentiam specificare potest: potentiae enim ex diversitate actuum diversificantur.

XXXIII. Ad rationes dubitandi respondetur. Ad primam dicimus quod in prima consequentia loquitur D. Thomas de actu adæquato ad quem per se ordinatur aliqua potentia: ex talium enim actuum diversitate ipsæ potentiae diversificantur. Non autem stare potest quod diversæ potentiae habentes diversos actus adæquatos, a quibus specificantur, et distinguuntur, sint una, et eadem entitas, nisi supponatur illa entitas, in qua uniantur, habere aliam speciem priorem, non desumptam ab istis actibus potentiarum: repugnat autem quod primo, et per se sumantur species, et distinctiva potentiarum ab actibus seu objectis specificantibus, et illæ inter se non distinguantur entitative, si aliquam speciem priorem non supponunt in qua uniantur; si vero eam supponunt, non primo, et per se specificantur, et distinguuntur per ordinem ad actus, et consequenter non tamquam potentiae perfectibiles, et constituibiles per ordinem ad illos; cum tamen constet substantiam essentialiter dici ens per se, et in ordine ad esse, et operativum, quod est actus primus, specificari per ordinem ad operationem, non autem dari aliquid anterius in ordine ad quod sumatur species illius entitatis, quæ esset simul substantia, et potentia operativa.

XXXIV. Ad instantiam vero contra secundam consequentiam res-